

1998-02-23 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘Vitae Christianae’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

VITAE CHRISTIANAE

**IMAGO BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE PIE SERVATUR IN SANCTUARIO
LOCI V.D. «CZARNA» IN DIOECESI RADOMENSI, PRETIOSO DIADEMATE
REDIMIRI SINITUR «NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS»**

Ad perpetuam rei memoriam. – Vitae christianae incrementum varia ratione foventes, magnopere curamus ut pietatem erga Beatam Mariam Virginem, quae praecellit inter humiles et pauperes Domini, incitemus. Cum igitur Venerabilis Frater Eduardus Materski, Episcopus Radomensis, petierit ut gratiosam imaginem Virginis, quae sub titulo «Educatricis» in sanctuario loci v. d. «Czarna» in dioecesi Radomensi pie colitur, pretioso diademate posset redimire, petitioni illi libenti animo obsecundare volumus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra potestate petenti Praesuli partes committimus ut memoratae imagini Nostro nomine et auctoritate pretiosam imponat coronam, iuxta probatum liturgicum ritum. Speramus fore, ut omnes Christifideles qui eandem venerantur imaginem, ad altiorem etiam spiritalis vitae approbandam rationem incitentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud s. Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIII mensis Februarii anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status